



Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

De magnis meritis patientiæ pro Christo. XXII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

336
suavis est Dominus rectis corde , qui gloriam eius querunt , non propriam laudem. Benedictus sermo ex ore loquentis & cantantis , vnde compungitur cor audientis.

5. Gallus antequam cantet , prius se ipsum alis suis verberat & excitat ; sic bonus frater & deohtus orator , se primitus corrigit debet antequam alium increpet. Ille bene & prudenter docet , qui à seipso incipit ; & primò emendat , quod in alijs notat & reprehēdit . Sic sanctus Paulus alias instruens , humiliiter se peccatorem

Tim. 1.

præ alijs nominat , dicens ; *Quia Iesus Christus venit in hunc mundum peccatores saluos facere : quorum primus ego sum , qui non sum dignus vocari Apostolus.* Et quare ô sanctissimè Paule ! *Quia persecutus sum ecclesiam Dei.* Vnde ergo sanctus , & vas electionis vere dignè glorificandus ? Non ex meipso , non ab hominibus , sed per vocationem & revelationem Iesu Christi , à quo didici mitis & humiliis esse , & euangelio eius obedire. Nihil boni mihi attribuo , sed quicquid egi & docui , hoc totum ei principaliter asserbo ; qui me vocauit per gratiam suam ad fidem , quam prædico & seruo usque ad mortem . Nam sola gratia Dei sum , id quod sum , & gratia eius in me vacua non fuit , sed semper in me manet & manebit , donec perueniam ad eum , qui me precioso sanguine suo redemit & saluavit .

CAPVT XXII.

De magnis meritis patientia pro Christo.

Lucus 21.

1. In patientia vestra possidebitis animas vestras. Quando ergo aliquis durè tibi loquitur , aut te iniuste increpat , nō statim irascaris , nec durè respondeas ; sed tace , aut humiliiter loquere , & sustine patienter , sicut fecit Iesus. Nam accusatus à multis tacuit , & flagellatus non murmurauit . Aut si opus est loqui & proposit , tunc responde benignè & doce prudenter ; sicut Christus dura alapa percussus , respondit seruo pontificis verbis rectis & mansuetis. Sic enim alios magis ædificas , & te ipsum à confusione liberas. In omni eventu rerum & contradictione linguarum prauarum , tene patientiam , & tace pie ad obiecta .

Matt. 26.

2. Attende profectum animæ tuæ in omnibus , quām magni meriti sit patientia virtus ; que ornat animam virtutibus , & ducit ad palmarum cum martyribus . Hanc Christus docuit , & factis in passione exemplificauit. Cum enim accusaretur à principibus sacerdotum & senioribus populi , nihil respondit . Impleuit opere , quod dixit sermone ; *Diseite à me , quia mitis sum & humiliis corde , & inuenietis requiem animabus vestris.* Non inuenitur alicubi requietus vera & pax secura , nisi in solo Doco , in vera humilitate , & benigna

Ioan. 18.2

Lucus 23.

Matt. 11.

benigna patientia, in qua vincuntur omnia aduersa. Si ergo in Deo tota spes tua, non in aliqua creatura, parua vel magna; quia sine Deo omnia vana, & cum Deo omnia bona.

CAPVT XXIII.

De bonis moribus humilis monachi.

1. **F**uge dilecte mi, fuge. Quare? Propter multa pericula mundi, que Cant. 8. saepe homini contingunt, qui in saeculo conuersatur. Nam qui Deo vacare appetit, libenter solus est & orat, studet & scribit, & sic per multa bona exercitia, à vitiorum periculis custoditur; & tempus suum fructuose expendit, & alios edificat. Qui autem libenter foris ambulat, & hinc inde fabulari desiderat, raro est, quin cor suum maculet, & indeuotior ad cellam pacis amicam redeat. Sermo pius & modestus cunctis acceptus, durus & inconsideratus offendit amicos. Qui verax est, vera loquitur: & qui fictis verbis alium decipit, oditur. Verus humilis de bonis operibus laudes non querit; sed omnia bona Deo ascribit, & mala sibi. Qui mendacium ore profert, Christum à corde fugat; & qui alta querit, seipsum confundit, & iuste decipitur. Qui planè & rectè loquitur, ab omnibus honoratur & amat.

2. Omnes fratres sumus ab uno Deo creati, omnes peccatores ex parentibus nati; sed per gratiam Christi ad fidem vocati & baptizati, mundamur & Christo vnimur. Nemo ergo aliū contemnat, nemo derideat, neq; in aliquo ledat; sed potius propter Deum iuuet & instruat, in quantum valet, sicut sibiipſi fieri desiderat, quando indiget. Qui ergo debilem in fide sacrī verbis confortat, panem cœli languenti porrigit. Qui tristem consolatur, potum vitaſi ſipienti propinat. Qui iracundum sermone blando mitigat, fauor mellis linguam canis vngit, ne duris mortibus aliquem lœdat. Qui diſſolutum tacere facit, magnam pacem inter fratres devotos generat. Qui alijs ſe p̄fert, ſtultum ſe ostendit, & confusione dignum. Qui in omnibus ſe humiliat, gratiam ampliorem meretur & gloriam. Pius & humilis laqueos diaboli orando frangit & euadit, quos superbus vanè gloriando incurrit & perit. A quibus pius Iesus nos ſemper custodiat, & ad cœli gaudia perducat. Amen.

CAPVT XXIV.

De prouida locutione, & fraterna compassionē.

3. **M**Edice cura teipſum. Istud in mente ſemper habeas, antequā Luc. 6. loquaris, & aliquem corripias, ne forte amplius pecces indiscretè vel iniuste aliquem argendo. Os iusti & prudentis feruat